

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Dissertatio Exegetico-Critica Exhibens Vindicias
Integritatis S. Scriptvrae Qvo Ad Locvm Vexatissimvm 2.
Chron. XXII, 1.2 De Annis Achasiae**

Consentiente Venerando Theologorvm Ordine - A. D. Jvnii A. R. S. MDCCL
... Pvblcice Tvebitvr

**Lilienthal, Theodor Christoph Lilienthal, Theodor Christoph
Regiomonti, MDCCL**

VD18 90565037

§. I.

urn:nbn:de:gbv:45:1-15087



§. I.



ondum religionis Christianae hostes diuinam S. Scripturae auctoritatem, in quo illa fundamento nititur, profanis ausibus vellicare desierunt. Manifestam in primis Codicis sacri vgere solent corruptionem: quippe qui infinitis scateret mendis, nec solum data opera a Iudeis pariter ac Christianis interpolatus esset, sed temporum etiam iniuria, et ob negligientiam librariorum, tantam subierit depravationem, ut libri diuinitus inspirati nomen iam non amplius mereatur. Quas hunc in finem IOH. MORINVS, LVD. CAPELLVS, ISAACVS VOSSIVS, RICH. SIMONIVS, IOH. CLERICVS, MARCVS MEIBOMIVS, WILH. WHISTONVS aliique audaciores Critici (*) excogitarunt argutias; audie arripiunt, nouo illinent fugo, nihilque intentatum relinquunt, quod vlo modo libros Biblicos, Veteris praesertim Testamenti suspectos reddere possit lectoribus impudidis (**).

(*) Conf. Cel. IOH. GOTTLÖB CARPOVII *Critica sacra Vet. Test. Part. 1. Cap. 3.* p. 106. sq. Ad eandem Pseudocriticorum classem referendus est FRANC. HARE Episcopus Cicestrensis in *Psalmorum libro in versiculos metrice diuiso* Lond. 736, et qui eius castra sequitur Rich Grey, in libro: *a new and easy Method of Learning Hebrew. Lond. 733.*

(**) BEN. DE SPINOZA in *Tract. Theol. Polit.* Cap. 9. pag. 168. Cap. 15. pag. 121. 122. ISAAC PEYRERIUS in *System. Praeadam. Part. 1. Lib. 4. Cap. 1.* p. 152. sq. 172. sq. Cap. 2. p. 159. sq. FRIDR. WILH. STOSSIUS in *concordia rationis et fidei* p. 98. sq. DE LA HONTAN *Suite du Voyage de l' Amerique* p. 7. ANT. COLLINS *Discou-*

A



Discourse of Freethinking p. 87. sq. MATTH. TINDALL *Christenthum so alt als die Welt.* Cap. 6. p. 106. 109. Cap. 12. p. 314. Cap. 13. p. 460. 498. 563. *sqq.* THOMAS MORGAN *Moral Philosopher T. I.* p. 440. 442. 447. *Tom. II. Letter to Eusebius* p. 17. *T. III.* p. 131. DE LA SERRE *Religions-Prüfung* p. 72. 75. 80. et novissime IOH. CHRISTIAN EDELMANN *im Mose mit aufgedecktem Angeichte Part. I.* p. 19. 20. 47. *sq.* 56. 72. 74. 80. 84. 85. 125. nec non *in der Begierde nach der vernünftigen lauteren Milch* p. 7. 42. 64. 78. et *in dem Glaubens-Bekäntniss* p. 43. 47. 54. 60. 65. 67. 164. 205.

§. II.

Immota tamen contra tot aduersariorum insultus verbi diuini in aeternum duraturi (1 Petr. I. 25.) perennat integritas, solidissimisque euineitur argumentis. Iudeos quibus concredita erant eloquia Dei, (Rom. III. 2.), Codicem sacrum deprauare nec potuisse, nec voluisse; tam certum est, quam quod certissimum. Prophetae strenui purae religionis vindices, tales nunquam permisissent corruptionem: quae nec post illos, tum ob mutuum Iudeorum et Samaritanorum in se inuicem odium, tum ob subortas in gente Iudaica diuersas sectas, fieri facile potuit, nec vnquam facta est. Christus enim eiusque Apostoli hoc Iudeis crimen nunquam exprobrarunt; potius sine vlla iniecta depravationis mentione, auditores suos ad librorum V. T. lectionem remittunt. Matth. XXIII. 2. 3. Luc. X. 26. XVI. 29. Ioh. V. 39. Act. XV. 21. Deinde vero, ob suam per vniuersum terrarum orbem dispersionem, multo minus quicquam ex communi consensu mutare valuerunt Iudaei in libris Biblicis; qui praeterea in Christianorum iam manibus erant, cum quoad textum Hebraicum, tum quoad varias eiusdem versiones, vnde facillime Iudeorum fraus detecta fuisset, si quem committere voluissent. Hoc tamen admodum improbabile est. Si enim loca quaedam S. Scripturae data opera corrumpere in animum induxissent; illa certe interpolassent dicta, ex quibus Christiani contra illos recte probant, Iesum verum esse Messiam; nec illis pepercissent testimonios, quae de execrandis maiorum suorum peccatis foedissimaque idololatria agunt. Quum vero in istis nihil immutauerint locis; nulla dari potest ratio, cur alibi Codicem sacrum mutilare voluerint: quem potius sanctissime conseruare studuerunt, adeo ut Masorethae hunc in finem omnes versiculos, voces et litteras eius numerauerint, reliqui vero nunquam non in describendis